

Tours 39 (lat)

XXXVIII SECURITAS DE HOMICIDIO

¹Fratri **illo** ego enim **ille**.

Dum et omnibus habetur percognitum, qualiter tu ante hos dies instigante adversario germano meo – *vel quolibet parente* – interfecisti, unde et postea ex hoc conprobatum apparuisti et ante me apud **illum** iudicem exinde in rationes fuisti et pro integra compositione pro iamdicto parente meo pro ipsa morte, sicut mihi bene conplacuit, argentum soledos **tantos** dedisti, ideo hanc epistolam securitatis tibi ex hoc emittendam decrevi, ut neque a me neque ab heredibus meis neque a quolibet opposita vel emissa persona nullam^a calumniam neque repetitionem de iamdicto homicidio habere non pertimescas neque tu neque ullus de parte tua, qui tecum commorantur, sed ducti atque securi in omnibus exinde valeatis residere.

Si quis vero, si fuerit aut ego ipse aut ullus de heredibus meis seu quislibet persona, qui contra hanc securitatem venire aut agere vel refragare temptaverit et a me vel ab heredibus meis defensatum non fuerit, sociante fisco, qui litem intulerit, soledos **tantos** componat et sua repetitio nullum obteneat effectum, sed sit inter nos vel heredibus nostris ex hac re omnique tempore calcanda causatio.

Et haec securitas meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione inserta diuturno tempore maneat inconvulsa.

^anullam] *verb. aus nulle* Wa₁

¹[Zeu. Form. Turon. 38]

